



**R. P. Christophori Gillii, Ex Brigantio Lvsitaniæ, Societatis
Iesv, Et in Conimbricensi Academia S. Theologiae
Professoris; Commentationvm Theologicarvm De Sacra
Doctrina, Et Essentia atque vnitate ...**

Gil, Christovão

Coloniae Agrippinae, 1610

In Deum non candit compositio paßiua per accidens, neq[ue] corporea.
cap. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82291](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82291)

In Deum non cadit compositio
passiua, per accidens, neq;
corporea.

C A P V T III.

I. **I**Nter genera compositionum imperfe-
ctissima est ea, quæ terminatur ad com-
positum per accidens, ideoq; primum in
Deo remouenda. Excluditur autem fa-
cilè ex dictis tractatu de unitate Dei, v-
bi ostensum est Deum esse vnum per se,
& inter omnia entia maxime vnum: quod
non conuenit compositio per accidens,
hoc enim est vnum secundum quid: qua-
re, cum ex rebus creatis sint plura com-
posita per se, ne Deum infra creaturas
detrudamus, dicendum non est ipsum esse
compositum per accidens. Deinde par-
tes compositi per accidens sunt entia actu
priora ipso composito, ab eoque mini-
mè dependentia: Deus autem est pri-
mum ens, ante quod nec esse, nec intel-
ligi potest vllum aliud ens actu. Et con-
firmatur, quoniam aut vtrumque ens a-
ctu, ex quo Deus fingitur componi, est
primum, & ex se, vel neutrum, vel alter-
rum est per se, & ex se, alterum ex alio:
si vtrumque sit primum ens ex se, erunt
plures Dij, cuius oppositum ostensum
est: si neutrum sit ex se, neque com-
positum erit tale, non enim habet vn-
de per se, nisi ratione partium, aut i-
psum compositionis: ex compositio-
ne per accidens emergere nequit esse
per se: ergo, si partes non sunt ex
se, neque etiam compositum erit, &
proinde non erit Deus: si alterum sit ex
se, alterum ex alio, iam in solo pri-
mo consistit ratio deitatis, & ita alte-
rum non erit pars illius: nec enim con-
cipi potest ratio formalis vllius entis ex-
clusa parte essentiali ipsius. Denique om-
ne compositum per accidens habet esse ab
alio vel secundum totum, vel secun-
dum partem, ita tamen vt ipsa com-
positio, quæ est forma totius, simpli-
citer sit causata: qui enim plura en-
tia nexu aliquo copulat, hic compositio-
nis, & compositi causa est: Deo autem
repugnat esse ex alio, & causatum: ergo
etiam repugnat esse compositum per ac-
cidens.

II. Rationes propositæ absolute, &
in communi ex natura compositionis

per accidens probant ipsam esse impos-
sibilem Deo, sequitur vt singulos eius
modos impugnemus, sunt autem tres.
Primus est coniunctio plurium substan-
tiarum completarum, quæ nexu aliquo,
aut vinculo externo, non vero forma-
li vnione copulantur, quomodo est v-
na nauis, domus, & eiusmodi alia. Se-
cundus est copulatio plurium accidenti-
um in eodem subiecto, vt candoris, &
dulcedinis in lacte. Tertius denique con-
nexio accidentis cum substantia. Hi ve-
ro omnes Deo repugnant. Primus qui-
dem, quoniam vel semper habet cau-
sam externam vi sua, & actione plures
suas stantias suapte natura separatas in vnum
colligantem, ideoque ab Aristotele libro *Aristoteli*
decimo Metaphysic. capit. prim. hoc di-
stinguitur compositum per se à compo-
sito per accidens huius generis, quod il-
lud est tale natura, hoc vero vi, *quemad-*
modum, inquit, *quacumque aut glutine, aut*
clauo, aut coniunctione, scilicet vnum
sunt; vel inter ipsas partes est actio, ac
passio per vim alterius partis attrahentis
aliam à se: qualis est coniunctio ferri
cum magnete attrahente ipsum, in qua
pars attrahens vim, atque dominum su-
pra alteram, & comparatione eius est cau-
sa, vel mouens: repugnat autem vt sit
vlla causa externa, quæ haberet prædo-
minium in Deum: nam, sicut ab eius vi,
& actione penderet duratio existentia i-
psum: ita illa cessante dissolueretur com-
positio, & desineret esse diuinitas: quod
repugnat eius immortalitati. Iam vero,
si coniunctio penderet ex vi, & actiui-
tate vnus partis supra aliam, opus es-
set, vt agens esset perfectior patiente,
ac proinde vt hæc non esset actus pu-
rus: ex quo tandem sequeretur aliquid
potentiale, & imperfectum pertinere
intrinsicè ad essentiam deitatis: quod
pugnat cum ratione actus puri, & inini-
ta perfectione Dei. Deinde vero planum
est neutram ex alijs compositionibus
competere Deo: Vtraque enim inuol-
uit rationem accidentis, vt partem
compositi: hæc autem repugnat actui pu-
ro: de quo ratione est vt sit per se, & ex se,
de ratione vero accidentis vt sit in alio,
& ex alio tanquam ex causa. Item actus
purus excludit omnem potentialitatem,
accidens illam supponit in subiecto, quod
perfitur: cum enim respectu illius sit
actus, ac forma, necessario illud erit po-
tentia ad talem formam. Denique omne
accidens aut est separabile, aut inseparab-
le: si separabile sit, compositum ex eo, ac
substan-

substantia, vel alio accidente erit dissolubilis: & consequenter non erit Deus, cuius essentia est ipsum esse, si vero sit inseparabile, ac per se fluat ex principiis substantiæ, & qua inseparabile est, tanquam ex propria causa, iam compositum ex ipso, ac substantia eiusmodi non erit prima causa, ante quam esse, aut concipi minimè potest vlla causalitas, aut effectus: at vero ante compositum ex substantia, & accidente ipsius inseparabili necessario concipitur effectus, nempe ipsum accedens, qui est effectus substantiæ: quare etiam ante ipsum compositum erit causa, & consequenter illud non erit prima causa, neque Deus.

III.

Post compositionem per accedens inter eas, quæ sunt per se, vltimum locum habet compositio corporea. Ea vero constat ex partibus, vel vtraque, vel altera saltem materiali: nam cum corpus, & spiritus opponantur immediate, ita vt omnis substantia sub altero ipsorum necessario constituitur, spiritus autem habeat adiunctam negationem corporeitatis, hoc ipso, quo aliquod compositum includit vel saltem vnam partem corpoream, & ipsum est corporeum, & compositio ipsius corporea, id vero constat in humana natura, cuius forma est spiritalis, & nihilominus, quia pars altera est materialis, seu potius ipsa materia, homo non est ens spirituale simpliciter, sed corporeum. Et quamuis Auicebron, vt refert Syluest. & Caietan. prim. part. quæstion. tert. ar. secund. initio, in substantiis spiritalibus admittat compositionem ex materia & forma, & nihilominus neget esse corporeas, tamen communis modus loquendi Theologorum hic est, vt res composita, ex parte aliqua materiali corporea dicatur. Auicebron autem, & si qui alij in substantiis separatis materiam concedunt, non loquuntur de materia eiusdem generis cum ea, qua constant res corporales, sed quæcumque tandem ratio sit materiæ spiritalis, primo in communi considerandum, quam repugnantiam habeat compositio corporea cum essentia diuina: postea singuli eiusmodi reiiciendi.

IV.

Non desuerunt autem ex antiquis Philosophis, qui Deum corpus esse crederent, horum meminit Aristoteles libr. I. Metaphys. capit. 3. qui non ponebant nisi causas materiales vt ignem, aquam, & aliquid simile: & ita prima rerum principia dicebant esse corpora, eaque Deos appellabant. Hunc vero mundum sensibilem corporeum esse Deum docuit Plinius lib.

prim. naturalis historie capit. I. & Thales Philosophus, vt author est Eusebius libro quart. de præparatione Euangelica cap. 6. Aerem vero Anaximenes teste Augustin. libr. 10. confession. capit. 6. lucem corpoream, Manichæus eodem teste Hæresi 46. Algazel item Deum corporeum esse defendit destructionum disput. 9. Cum vero Deum corporeum dicerent, consequenter compositum dicebant. Nam quamuis Syluest. & Caietan. vbi supra dicant apud omnes non recurrere rationem corporis cum ratione compositi, quandoquidem Auerroes cælum concedit esse corpus, negat autem compositum, contra vero Auicebron Angelos negat esse corpus, cum tamen admittat ex materia, formæque compositos, certum tamen est apud omnes, etiam Auerroem, omne corpus esse compositum, si non ex materia, & forma, quam solam compositionem attendisse videtur Syluest. & Caietan. saltem ex partibus integrantibus, quas vendicat substantia omnis quantæ, quam corpus appellamus, vt notat sanctus Thomas libr. 1. contra Gentes cap. 20. & opusc. 3. cap. 16. Itaque quicumque Deum corporeum iudicarunt, consequenter etiam compositum concesserunt. Cui existimationi fauere videbuntur loca sacrarum literarum, quibus tribui videntur Deo proprietates corporis nempe dimensiones, figura, locus, situs, ac motus: dimensiones Iob. 11. *Excelsior cælo est, & quid facies? Profundior inferno, & vnde cognoscas? longior terra mensura eius, & latior mari.* locus Matth. 6. *Pater noster, qui es in cælis: figura ad Hebr. 1. cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius.* Situs Esai. 6. *Vidi Dominum sedentem.* Et Psalm. 81. *Deus stetit in synagoga Deorum.* Motus vero Psalm. 67. *Deus cum egredieris in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto.*

Thales.
Eusebius.Anaximenes.
Augustinus.
Manichæus.
Augustinus.
Algazel.Syluest.
Caietan.

S. Thom.

Iob. 11.

Matth. 6.
ad Hebr. 1.
Esai. 6.
Psalm. 81.
Psalm. 67.

V.

Ioan. 4.

Verum de fide est repugnare Deo compositionem corpoream. Non opus est referre Patres, quia passim communi consensu docent hanc veritatem. Probatur autem in primis ex illo loco Ioann. 4. *Spiritus est Deus.* Quamuis autem nomen *Spiritus* in sacris literis non semper accipiat pro substantia spiritali, prout à corporea distinguitur, sed etiam pro vento, & aere, tamen accedente communi Patrum & Doctorum Scholasticorum interpretatione, vox, *Spiritus*, eo loco sumi debet pro substantia spiritali distincta à corporea, vt communiter apud nos corporatur, idque colligitur ex discursu, contextuque sermonis: nam, cum Samaritana rogasset Christum Dominum dissolutionem

lutionem eius controuersia, quæ erat inter Iudæos, & Samaritanos, his assentibus, non nisi in monte Garizim, illis vero contenditibus non nisi in templo Hierosolymitano colendum esse Deum, Christus respondit instare tempus, quo neutro in loco coleretur Deus, & quo veri adoratores in spiritu & veritate essent adoraturi Patrem, & huiusmodi sermonem conclusit illis verbis: *Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* Si ratio Christi congrua est, oportet ut Deus, si quia spiritus est, adorari debet in spiritu, non sit inferioris ordinis spiritus ab eo, quo adoratur: is vero est animus noster incorporeus, & immaterialis: quare eo loco non sumitur spiritus pro corpore aereo atque subtili, sed pro substantia corporeitatis experte: nam, si corporea foret, cur potius in spiritu, quam in templo, & quouis alio loco corporeo coli deberet. Atque ita ad hanc veritatem confirmandam præter scholasticos hoc loco vtuntur communiter Patres. Origenes in libro primo Periarchon. capit. prim. Theodoretus quæstio. vigesima. in Genesim, & Epitome diuin. decret. capit. prim. quod est de principio, Augustinus libr. de essentia diuinitatis, initio, & alij. Præterea si Deus esset corpus, sub sensum caderet, possetque tangi, vel saltem videri: nam, cum lux dicatur, non esset corpus tenebrosus sed clarus, ac visibile: Deum vero inuisibilem scripturæ tradunt: Ecclesiæ, & Patrum traditio habet, ut ostendam libro tertio tractat. tert. imo & ipsa nos experientia docet, nondum enim inuentus est quisquam, qui Deum ipsum in sua diuinitate corporeis oculis aspexerit; si quis dicat, etsi corporeus sit, ob nimiam, seu potius infinitam lucem non posse à nobis videri, sicut videri nequit sol à noctuis, & alijs eiusdem generis animalibus nocturnis, non satisfacit: nam, eiusmodi animantes, & si recta in solem aspicere nequeant ob debilitatem visus, saltem experiuntur hebetari aciem ipsorum à nimia eius luce: at nobis nihil eiusmodi contingit, neque vnquam lux vlla corporea occurrit præter communem lucem solis, stellarum, & aliorum corporum lucentium, cuius in cursu oculorum acies hebetetur: non est igitur vlla lux corporea increata. Denique secundum fidem Deus est vbique corporibus & animis intime præsens, non solum scientia & intuitu, sed ipsa quoque substan-

tia, & illapso, hoc vero repugnat suapte natura corpori: si quis vero dicat hoc non inuoluere absolutam repugnantiam, siquidem factum est virtute diuina in partu virginis, & resurrectione Christi Domini, ut duo corpora essent simul intime indistantia secundum locum: & ideo nihil mirum si corpus Dei hoc suapte natura habeat, quod alijs contulit per miraculum, necessario incurret in maximum absurdum, concedat enim necesse est ipsum corpus Dei non minus penetrari ab alijs corporibus, ita ut sint intra terminos ipsius, quam ipsum penetrat alia: nam, cum non debeat esse vbique totum, sed secundum alias, atque alias partes per omnia fustum, cætera corpora cum ipso penetrabuntur, si rursus respondeatur non oportere, ut corpus ab alio indistans ab ipso penetretur: propterea quod corpus Christi Domini in sacrosancta Eucharistia est indistans à quantitate panis relictæ, & tamen ab ipsa non penetratur: nondum satis sit argumento: nam corpus Christi in Sacramento Eucharistia est modo indiuisibili, & ideo nec ipsum proprie est penetratiue cum quantitate corporis, nec ab ipsa vlllo modo penetratur. At vero modus existendi indiuisibiliter non est naturalis corpori: repugnat autem Deum habere modum non naturalem, ut probat Diuus Thomas libr. 1. Thom. prim. contra Gentes capit. 19. atque adeo, si esset corpus non indiuisibiliter existeret, sed ad modum, quem corpus naturaliter exposcit, scilicet extensum, & respondens quantitati corporum reliquorum: hoc autem modo non posset esse intimum alijs, quin esset mutua inter ipsum, & illa penetratio.

Ex his patet secundum fidei principia repugnare Deo compositionem corpoream, siue rationem corporeitatis. Sed iam ex principijs naturalibus idem breuiter est probandum. In primis autem ostenditur ex ratione actus puri, cui nequit esse intrinseca pars vlla potentialis: omne autem corpus potentiale est, siquidem est diuisibile, & consequenter plura in potentia. Hoc argumento vtitur Diuus Thomas prim. part. quæstion. tert. artic. 1. Cui responderi potest, quamuis corpus secundum rationem communem sit diuisibile, fieri posse, ut secundum rationem particularem determinati corporis repugnet ipsi diuisio: qua ratione ij, qui dicunt cælum esse incorruptibile, negant posse diuidi ex ratione propriæ naturæ

specificæ

Origenes.
Theodoret.

Augustinus.

S. Thom.

VI.

S. Thom.

specificæ impediens actuale diuisionem. Quæ responsio redargui inprimis potest ex eo, quod de ratione corporis sit diuisibilitas, idcirco enim à Philosopho libro primo de cælo capite primo, diffinitur diuisibile omni ex parte, & idcirco saltem concedendum esse Deo secundum rationem corporis non repugnare diuisionem, quamuis aliunde repugnet: quod indicauit Diuus Thomas ubi supra cum vsus est reduplicatione dicens, *quia continuum, in quantum huiusmodi, diuisibile est in infinitum*. Verum hæc impugnatio non conuincit: etenim si datur corpus aliquod particulare, cui ex propria natura repugnet diuisibilitas, ea profecto secundum actum non est de ratione continui: quod enim est de ratione superioris, est etiam de ratione inferioris: sed solum conueniet corpori secundum non repugnantiam: nempe, quia illi, in quantum corpus, non repugnat diuidi: ex hoc autem non sequitur particularia corpora esse capacia diuisionis, sed solum ex ratione communi corporis non repugnare illis diuisionem: ex quo non bene concluditur Deum non posse esse corpus: nam etiam enti secundum rationem entis non repugnat potentialitas, inhærentia, corruptibilitas: & nihilominus ex eo non sequitur rationem entis repugnare Deo, sed rationem entis potentialis, inhærentis, corruptibilis. Ita proposito argumento responderi poterit, Deo quidem repugnare rationem corporis diuisibilis, non tamen corporis absolutè. Hæc solutio si argumentum procedat de diuisione realis separationis vnius partis ab alia, nonnullam habent verisimilitudinem. Verum diffinitio corporis non necessario intelligenda est de sola diuisione reali, sed etiam mentali, quia intellectus noster potest in infinitum secernere partes continui designando in corpore incorruptibili partes respondentes diuisioni, ac separationi reali, quæ sit in corpore corruptibili: & hoc non minus repugnat Deo, quam diuisibilitas actualis, vt notat sanctus Anselmus in prologo. capite decimo octauo, ubi sic ait: *Quidquid est partibus iunctum, non est omnino vnum, sed quodammodo plura, & diuersum à se ipso: & vel actu, vel intellectu dissolui potest, quæ aliena sunt à te, quo nihil melius cogitari potest*. Idem fere docet libro de incarnatione verbi capite tertio. Interrogabis autem, quomodo ex sola diuisibilitate secundum intellectum colligatur potentialitas

partium, & repugnantia cum actu puro: ad hoc enim inductum est hoc argumentum. Respondeo deduci ex similitudine existendi, quam habent cum partibus actu diuisibilibus. Etenim utraq; non habent actuale existentiam per se, sed in toto: & ita non sunt simpliciter, & absolute entia actu, sed sunt entis actu, hoc est compositi; ideoque considerata in eo priore, quo secundum genus causæ materialis illud antecedunt, sunt in potentia ad existendum per ipsum esse totius. Respondeo deinde actui puro non solum opponi potentialitatem prouenientem ex sola ratione speciei, sed fundatam in tota latitudine entis: nam, cum enti de se non repugnet vlla perfectio, quoduis ens singulare, qua ens dicitur priuatum quauis perfectione, quam non habet etiam si repugnet ratione naturæ specificæ: quomodo brutæ animantes dicuntur irrationales à priuatione rationis, quæ tamen ipsis secundum proprias essentias repugnat: & ob eandem causam, & sub eadem ratione dicitur quoduis ens habere aptitudinem, siue potentialitatem ad quamuis perfectionem: & ideo cum partibus continui secundum rationem communem non repugnet separatio, & existentia actualis per se, quæuis pars corporis suapte natura incorruptibilis, & consequenter ex ratione propriæ naturæ actu indiuisibilis, dicitur esse in potentia ad diuisionem, & actuale existentiam per se: & hæc potentialitas non minus quam propria repugnat actui puro, quandoquidem affert secum plurimarum perfectionum negationem à ratione actus puri alienam. Quæ doctrina fumitur ex Scoto in 1. d. 8. quæstion. 2. ubi declarat quomodo singula entia, quatenus talia, dicantur priuata perfectionibus entium aliorum, & sub eadem ratione habeant modum potentialitatis ad easdem.

Plura alia argumenta ad hoc institutum probandum adducuntur ab authoribus. Consulatur sanctus Damascenus libro 1. fidei capit. 4. Diu. Thomas ubi supra, & contra Gentes capi. 20. Henricus in sum. artic. 28. quæstion. 1. Scot. tractat. de primo principio cap. 4. conclusionem 10. & in 1. d. 8. quæstion. 1. Richardus artic. 3. quæstion. 1. Bassol. quæstion. 2. art. 2. & Andr. de No- uo Castro quæstion. 1. Illud autem, quod videtur Aristoteles 8. Phys. Damascen. ubi supra, & sanctus Thomas loco citato, sumptum à motu non ita euidentem est, quin aliquo modo dissolui possit. Etenim re-

Scotus.

VII.

Damascen.

S. Thom.

Henricus.

Scotus.

Bassol.

Nov. castr.

soluitur ad duo principia: alterum est, quod corpus non mouet nisi motum, & ita non potest esse primum mouens: alterum est, quod corpus finitum mouere nequit tempore infinito, sicut supponebat Arist. & saltem à parte post non repugnat ut sit, at vero infinitum corpus non datur. Primum vero fundamentum non videtur euidēs, nam videmus ferrum moueri à magnete visua illud attrahente, quin ipse moueatur: quemadmodum vero magnes habet hanc vim, ita non videtur repugnare, & saltem non est euidēs cur repugnet dari corpus eius naturæ, ac virtutis, ut ipsum immotum possit mouere omnia corpora in omnem differentiam loci. Huic obiectioni respondet Caiet. ar. 1. cit. §. *Circa illam*, cum Auerr. 7. Phys. comm. 10. magnetem non mouere ferrum, sed hoc moueri ad illud, quæ solutio non est congrua, non enim datur motio passiva sine actiua impressione agentis: & ideo oportet assignare vim motricem: nam, si ferrum mouetur, necesse est ut ab aliquo moueatur, non à se, nihil. n. mouetur à semetipso: ergo ab alio, non apparet autem alia causa, cui motus eiusmodi tribuatur, quam magnes. Responderi poterit ferrum moueri à sua forma ob aliquam sympathiam occultam cum magnete: sed aliud est respondere, aliud ratione conuincere responsionem aduersarij: nam, qui negauerit corpus non mouere nisi motum, negabit etiam ferrum moueri efficienter à sua forma, ad quod concedendum non poterit ratione necessaria conuinci. Et ita ex hoc capite argumentum ductum à motu non ostendit necessarium, & euidenter Deum non esse corpus, idemque dicendum ex ratione alterius fundamenti: nam, licet Arist. existimet impossibile esse corpus infinitum, eamque sententiam plures Philosophi, & Theologi tueantur, nihilominus de eiusmodi positione non est scientia, sed opinio: & idcirco, qui dixerit non repugnare, ut sit corpus infinitum, ex opposito fundamento non cogetur fateri Deum non esse corpus. Hoc dixerim ad videndum, quæ vis esset argumenti sumpti à motu ex duobus illis principijs, nec enim necesse est, ut argumenta omnia, quæ communiter adhiberi solent ad confirmandam conclusionem veram, ac necessariam, sint necessaria, atque euidentia, plurima enim solam probabilitatem præferunt.

VIII.

Porro testimonia diuinarum literarum in contrarium adducta non sunt accipienda secundum proprietatem sermonis, sed secundum metaphoram ut ait Diuus

Thomas 1. p. qu. 3. art. 1. in solutione argumentorum, Henric. artic. 28. qu. 1. & Patres communiter August. li. 1. de Genes. contra Manich. cap. 17. & Epist. iii. vbi id annotatum dicit ab omnibus, qui Anthropomorphitis restiterunt, qu. 93. in Leuiticum lib. 83. quæstionum, q. 52. lib. 1. contra aduersarium Legis, & Prophetarum cap. 20. & fuisse libro de essentia diuinitatis, qui fere totus refertur etiam in 4. tomo Epistolarum Hieronymi, inscribiturque: *de iis, quæ Deo in scripturis attribuantur*. Gregor. li. 20. Moral. c. 23. super illa verba: *Mutatus es mihi in crudellem*, & lib. 32. ca. 6. super illa verba: *Si habes brachium sicut Deus*. Cyrill. li. 13. Thesaur. c. 3. vers. finem, Anselm. li. de vest. & membr. & actibus Deo attributis. Eucher. libr. de spiritualibus formulis, & multi alij passim, ut enim dicam in tractatu de nomine Dei, quia homines sunt corporei sensibilibus formis assueti, non possunt ipsas spirituales, & immateriales perfectiones absque rerum sensibilibus inuolucris aspicere: ideoque Spiritus sanctus auctor diuinarum literarum captui nostro se accommodans sub sensibilibus rerum symbolis diuina nobis proponit, & ut ait August. lib. 1. de Trinit. cap. 1. *A rebus, quæ in creaturis reperiuntur, solet diuina scriptura, velut infantilia oblectamenta formare, quibus infirmorum ad querenda superiora, ac inferiora deferenda, pro suo modulo tanquam passibus moueretur affectus*. Et ideo ex his, quæ ad hunc modum continentur in scriptura, non licet argumentum sumere secundum nominum proprietatem: hoc enim modo intelligitur testimonium Dionysij, epist. ad Titum asserentis Theologiam symbolicam non esse argumentatiuam. Primus ergo locus Iob explicatur à D. Tho. vbi supra ad primum ratione sapientiae, durationis, charitatis, & cæter. Verum planior expositio est quam attingit August. lib. de diuin. propriet. & ex eodem refert Henric. vbi supra scilicet omnia illa dici propter immensitatem Dei, quia omnia implet: & ideo explicatur secundum omnes differentias loci, quas corpus infinitum, si daretur, occuparet. Secundus exponitur de similitudine secundum substantiam: & quia in corporis nobis notis similitudo sumitur secundum figuram corporis, ideo ad exprimendam verbi æterni cum Patre similitudinem sacra litera figuræ nomē vsurpât. Tertius exponitur ratione potestatis, dominijs, & gubernationis Dei supra creaturas: nam, sicut inter nos regia ciuitas, & domus solet esse amplior, ac magnificentior cæteris vrbus, & priuatis edificijs, ita scriptura nobis apponit Deum existentem in cælo, tanquam in

præci-

S. Thom.
Henricus.
Augustinus.

Gregorius.

Cyrill. Alex.
Anselm.
Eucherius.

Augustinus.

Magn. D. Tho.

S. Thom.

Augustinus.

Henricus.

Rob.
Iustinus.

præcipuo orbis domicilio, ex quo cuncta gubernat: non quia ab alijs locis distet, sed quia cælis, & Angelis ipsorum incolis vitur ad inferiorum rerum gubernationem. & in cælo tanquam in folio regni magnitudinem gloriæ suæ ostendit. Sessio apud Esaiam significat immobilitatem numinis sempiterni, & supereminentiam maiestatis ipsius super omnes creaturas etiam præstantissimas. Statio in Psal. significat diuini iudicii rectitudinem: nam ibi introducit Deus quasi Iudex Regum, ac Iudicum humanorum, vt indicant verba sequentia, *In medio autem Deos diiudicat*, & ideo stare dicitur: qui situs præ omnibus alijs præfert humani corporis firmitatem, & rectitudinem, vt eo significetur firmitas, & rectitudo iudicii diuini. Egressus vero Dei præeuntis populum ex Ægypto proficiscentem, & transitus eius per desertum accipitur pro peculiari Dei assistentia, & providentia in illo educendo, ac comitando: & quoniam eius præcipua executio demandata erat Angelo, qui præibat in columna ignis, ac nubis, Deumque repræsentabat, ideo Scriptura vitur vocibus significantibus motum, quia re ipsa Angelus ille mouebatur, non autem Deus repræsentatus in Angelo, sed horum Symbolorum fusior interpretatio petenda à sacramentis literarum interpretibus, sat est attigisse aliquid, vt hinc fiat iudicium de reliquis: nam, vt ait Magn. Dionys. cap. 5. cælestis Hierarchiæ, sufficit sapientibus vnus significatiuæ imaginis diiudicatio in proximarum simili modo declaratione.

Deus neque ex partibus integran-
tibus, neque ex materia, &
forma composi-
tus est.

CAPVT IV.

I. **Q**uamuis cap. superiore probatum sit in genere compositione corpoream non posse conuenire Deitati, oportet tamen particulares eius modos elucidere: quod hoc capite præstandum est. Compositio vero corporea omnis ad duas species reuocari potest: altera est ex partibus integran-
tibus, altera ex materia, & forma. Nec defuerunt, qui vtramque admitterent. In primis vero Rabini Iudeorum, vt auctor est Iustinus in dialogo cum Tryphone satis post medium, tribuebant Deo compositionem ex anima, & corpore, & varietate

te membrorum: quem propterea etiam corporea figura præditum, in eaque antiquis Patribus apparuisse asseuerabant. Quem errorem Sadducæis tribuit Arnobius lib. 3. aduersus Gentes ante medium. Iudæis Basilius homil. 10. in Hexameron circa principium. Idem postea existimant Audius, siue Audæus monachus, vt refert Epiphanius Hæresi 70. & Theodoretus lib. 4. Hæreticarum fabularum, cap. 13. & lib. 4. Historiæ cap. 19. Ex quo orta est Hæresis Audianorum, qui parum mutato nomine dicti sunt Vadiani ab Augustino lib. de hæresibus cap. 5. & Græco nomine Antropomorphitæ appellati, eo quod Deo humanam figuram tribuebant. Idem existimant nonnulli simplices Catholici, quorum meminit Augustin. lib. 1. de moribus Ecclesiæ Catholicæ cap. 10. & omnes ferè Ægypti Monachi, vt refert Casian. collat. 10. cap. 2. 3. & 5. Horum error, vt notat Diuus Thom. lib. 1. contra Gentes, cap. 20. ad finem, ortum habuit ex eo, quod ob hebetudinem mentis nonnulli sensibilibus rerum formas, & obiecta corporea imaginari poterant: potuit etiam nasci ex Scripturis male intellectis, in quibus frequenter est sermo de Deo per metaphoras, & similitudines formæ corporeæ, membrorum, ac lineamentorum corporis humani, itemque per verba propriè significantia passionis, quæ nonnulli in corpore reperiuntur. Nominatur enim frequenter, caput, facies, manus, brachium, & cor Dei, qui etiam sæpè dicitur irasci, dolere, pœnitere. Verum hæc omnia, vt iam superiore cap. notauimus, Symbolicè, & per metaphoram accipienda sunt, vt accipiuntur à Patribus: maximè vero mouebantur, vt refert Epiphanius, & Casianus citatus ex illo Gen. 1. *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, quod de similitudine, & imagine corporea interpretandum putabant: sed totius Ecclesiæ sensus hæc verba intelligit de imagine, ac similitudine spirituali. Eundem errorem Tertulliano tribuit Augustin. Epist. 156. circa medium, & lib. 10. de Genesi ad lit. cap. 25. Fulgentius lib. 2. de fide ad Petrum, & Gennadius lib. 2. de dogmatib. Ecclesiast. Plura loca ex ipso refert Pamelius in Paradoxo cap. 15. in eo autem dissentit error Tertulliani ab illo Vadianorum, quod ponebat quidem Deum compositum ex anima, & corpore, nō tamen ex membris eiusdem figuræ cum humanis, sed ex corpore alterius rationis, & naturæ, vt colligitur ex lib. 2. aduersus Marcionem cap. 16.

Sadducæi.
Arnobius.
Iudæi.
Basil.
Audæus.
Epiphanius.
Theodoretus.

Vadiani.
Augustinus.

Casianus.

S. Thom.

Tertullianus.
Augustinus.

Fulgentius.
Gennadius.
Pamelius.